



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

§. III. Utrùm causæ Ecclesiasticæ Judici seculari committi possint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

lo per Judicem Eccles. cum in spiritualibus nulla cognitio, sed sola executio, ipsi remaneat. cit. DD. & Panorm. ac alij in C. ad abolendam de Hæretic. Videantur ea, quæ dixi suprâ n. 574.

§. III.

Utrum Causa Ecclesiastica Judici Seculari committi possint.

SUMMARIUM.

639. Notatur ad rem præsentem discrimen inter varias causas Ecclesiasticas.
640. SS. Pontifex jus aliquod & jurisdictionem spiritualement concedere laicis potest.
641. Sed duntaxat nomine Ecclesiæ exercendam.
642. Non potest ipsis committere omnes causas Clericorum.
643. Potest verò causas particulares.
644. Prælati SS. Pontifice inferiores nequeunt laicis committere causas spirituales.
645. Aut criminales Clericorum.
646. Respondetur ad Jura opposita.
647. Possunt tamen ipsis committere causas civiles Clericorum.
648. At solum in particularibus & certis causis, ac non contradicente parte.
649. Nomine Prælati hic venit etiam Prælatus Regularis exemptus.
650. Possunt Prælati Clericos gravium criminum reos torquere per ministros laicos.
651. Laicus constitui potest administrator rerum temporalium Ecclesiæ.
652. Et esse Consiliarius ac Assessor Episcopi. Nec non in causis Ecclesiasticis Notarius, Procurator, & Arbiter.
653. Committi executio contra Clericos quandoque potest laicis.
639. Non adeò Causæ Ecclesiasticæ Foro sacro alligatæ sunt, quin

quin ad tribunal Judicis secularis cum consensu Ecclesiastici devolvi queant. Quod antequam monstratur, notandum est discrimen paulò antè *n. 614.* allatum inter Causas Ecclesiasticas, quæ tales sunt ex objecto sacro, ac idcirco Spirituales dicuntur; ac inter eas, quæ ex objecto seu materia profana quidem sunt, at verò ratione subjecti ac personæ sacræ, contra quam agitantur, Ecclesiasticæ. Discrimen hîc pariter est, idque latum, inter SS. Pontificem, ac alios Ecclesiæ Prælatos ipso inferiores.

640. De supremo causarum Ecclesiasticarum Judice, seu SS. Pontifice, concors est DD. sententia, posse ex ejus privilegio aut delegatione laicos habere aliquod jus spirituale, & jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo exercere in ijs, quæ de se non requirunt Ordinem Clericalem, qualis requiritur ad conficienda Sacramenta, excepto Baptismo & Matrimonio. Idque non tantum de laicis maribus, sed etiam de fœminis, concedunt Glossa *V. Jurisdictione*, Ant. Butr. Panorm. ac alij in *C. Dilecta de Major. & Obed. Selva de Benefic. p. 2. q. 5. n. 1.* ac aliorum communis. Itaque SS. Pontifex ex plenitudine Potestatis supræ laico conferre potest Beneficia Ecclesiastica & potestatem ea conferendi; item jus suffragij in electionibus ad illa; nec non potestatem ferendi censuras; jus percipiendi decimas, oblationes, aliosque redditus Ecclesiasticos &c. Ex quo tamen nemo rectè conclusit, quòd hujusmodi jura & potestas acquiri possint etiam præscriptione & consuetudine: utraque enim supponit capacitatem possidendi in subjecto & possessionem; quam laicus habere non potest nisi ex concessione Pontificia. Videantur, quæ dixi suprà *n. 231. & seq.*

641. Non tamen efficere valet SS. Pontifex, ut Principes Seculares aliique laici ista possint vi temporalis potestatis, ut notat Suar. in *Defens. Fid. lib. 4. c. 2. n. 11.* estque de mente omnium, qui de hac re egerunt, ut ait Oliva *p. 1. de Foro Eccles. q. 7. n. 93.* Hinc siquæ jurisdictio sacra committeretur laicis (quod tamen nunquam legitur factum) eam non exercerent vi propriæ seu secularis jurisdictionis, sed solum ut instrumenta & ministri

ministri SS. Pontificis ac spiritualis jurisdictionis: cum Jure Divino laici sint incapaces juris & potestatis spiritualis, ut ex se seu virtute suæ potestatis temporalis eam exercent; quia non illis, sed Petro ejusque successoribus à Christo collata fuit. Dixi, jurisdictionem spirituales laicis nunquam commissam fuisse. Nam jus præsentandi ad Beneficia iisdem concessum propriè ad jurisdictionem non pertinet. Quod verò dicitur *Can. Hadrianus 22. dist. 63.* ab Hadriano cum universa Synodo Carolo M. traditum fuisse jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam Sedem, inane commentum est, desumptum ex Sigeberto Schismatico, qui in gratiam Henrici Imperatoris, omnium Ecclesiarum investituras sibi illicitè usurpantis, illud confinxit, ut præter alios demonstrant Severin. Binius *in notis super vita Adriani l. tom. 3. Concil. p. 1. sect. 1.* & Petr. de Marca *lib. 8. de Concordia Sacerdotij & Imperij c. 12.* Fabulosus pariter est *canon In Synodo 23. cit. dist. 63.* ubi idem repetitur, additurque, in Romana Synodo à Leone VIII. eandem Episcopos investiendi potestatem concessam fuisse Ottoni I. Imperatori: hoc enim esse commentum à quodam impostore adscriptum Luitprando apertissimis documentis ostendit idem Binius *tom. 3. Concil. p. 2.* Videantur Baron. & Spondan. *ad annum Christi 774. & 963.* Jacob. Keller *in Papatu Catholico art. 12. c. 3.* Laym. *in Justa Defensione SS. Pontif. & Cesar. c. 4. mem. 20. assert. 2.* Card. Sfondrati *in Regali Sacerdotio prælud. §. 1.*

642. Neque SS. Pontifex Principibus Secularibus vel alijs laicis committere potest omnes causas Clericorum, ac universim & generaliter ipsorum privilegio derogare. Panor. *in C. 2. de Major. & obed. & in C. Proposuit de Concess. Prab. Felin. in C. 10. de Constitut. n. 6. & in C. 2. de Judic. n. 1. limit. 2.* Covarr. *Pract. qq. c. 31. n. 4. v. Primum etenim, Marta de Jurisdic. p. 2. c. 6. n. 26. & p. 4. casu 64.* ac alij: quia ex hoc perturbaretur status Ecclesiasticus, eidemque ac universæ Ecclesiæ præjudicium & injuria fieret. Imò nec causas Clericorum alicujus integræ Provinciæ com-

R rr

mittere

mittere potest seculari Principi, v. g. ut singulas ipsorum causas decidat, aut de omnibus criminibus judicet. Felin. *in cit. C. 2. de Judic. n. 3.* Castr. Lusit. *p. 1. de Manu regia prælud. 3. n. 5.* Suar. *in Defens. Fid. lib. 4. c. 32. n. 7.* Oliva *p. 1. de Foro Eccles. q. 14. n. 3.* quia etiam hoc foret perturbare Statum & Ordinem Ecclesiasticum.

643. Potest tamen committere laicis dijudicandas particulares Clericorum causas, & privilegium Clericale restringere quoad certas causas & personas Ecclesiasticas, ut cum Panorm. ac Felin. *ll. cc. tradunt Covarr. l. c. Suar. cit. lib. 4. c. 2. n. 12.* ac alij communiter, patetque ex *Can. Præter dist. 32. Can. Memmæ 2. q. 5. C. Verum de Foro comp. C. un. de Cleric. conjug. in 6. C. ult. de Vit. & honest. Cleric. Trident. sess. 23. c. 6. de Reform.* ac ex ijs, quæ tradidi suprâ à *n. 234. 289. 313.* Limitant tamen Panorm. *in C. 10. de Constit. n. 6.* Felin. *ibid. n. 6.* Marta *de Jurisdic. p. 2. c. 6. n. 34.* Suar. *cit. lib. 4. c. 2. n. 12.* & ajunt, non posse etiam certum causarum Ecclesiasticarum genus à Pontifice laicis committi, ut eas tractent tanquam Judices Ordinarij, sed tantum, ut tractent tanquam Ecclesiæ Delegati: quia Jure Divino institutum est, ut Ecclesiæ resque Ecclesiasticæ gubernentur ab Episcopis, ut constat ex *Actor. c. 20. v. 28.* & *Trident. Sess. 23. c. 4.* quod regimen everteretur, si causæ sacræ & Clerici in proprijs causis Ecclesiasticis seculari potestati ordinario jure subicerentur. Non probat hanc distinctionem Oliva *cit. q. 11. n. 7.* dicens, non posse quidem causas Eccles. committi laicis, ut eas vi suæ potestatis temporalis tractent: nihil tamen obesse, quò minùs etiam ordinaria ipsis jurisdicção concedatur circa causas quasdam particulares, ut eas tractent tanquam Ecclesiæ ministri. Verum hoc ipso si eis concederetur jurisdicção ut Ecclesiæ ministris, foret illa delegata, quia non exerceretur proprio ipsorum nomine, sed alieno, nimirum Ecclesiæ: quæ autem sic exercetur, non est ordinaria, sed delegata, ut constat ex dictis *n. 462.*

644. De Episcopis aliisque Prælatiſſ. Pontifice inferioribus

bus tenendum est primò, non posse eos laicis committere causas spirituales, v. g. ut decendant controversias Matrimoniales, Beneficiales, Juris Patronatus &c. aut ut conferant Beneficia Ecclesiastica, præsentatos instituunt, suffragium dent in Electionibus Ecclesiasticis, censuras ferant, vel ab eis absolvant &c. Innoc. ac alij in *C. Quanto de Consuet.* Panorm. in *C. Decernimus de Judic. n. 5.* Felin. *ibid. n. 8. Dec. n. 5. § 15.* Silvest. *V. Laicus q. 7.* Covarr. in *C. Alma mater de Sent. Excomm. in 6. p. 1. §. 11. n. 3.* Suar. *de Censur. disp. 2. sect. 3. n. 12.* ac concors DD. Constat ex *Can. In nona 22. q. 7. & C. Sacrosancta 51. de Elect.* Hinc laicus non potest esse Vicarius Episcopi. *Can. 22. 16. q. ult.* Neque administrator in spiritualibus. *C. 2. de Ætat. & qual. præfic. cit. C. In nona,* ubi licet absolutè præcipi videatur, ut Episcopi administrationem laicis non committant, Panor. tamen, Decius, ac alij id tantum intelligunt de spiritualibus. Cæterum quod modò de laicis dictum est, intelligi debet etiam de Clericis conjugatis: quia quoad prædicta æquiparantur laicis. *Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 46. n. 12.* cum Panor. Joan. Andr. ac communi aliorum.

645. Secundò. Non possunt Prælati SS. Pontifice inferiores causas Clericorum criminales laicis committere. Assertio hæc omnium consensu recepta est, & patet ex *C. Decernimus 2. de Judic.* ubi universim præcipitur, ut *Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alij Ecclesiarum Prælati de negotijs Ecclesiasticis (maximè de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant.* Patet insuper ex *C. Universitatis 24. de Sent. Excomm.*

646. Obstare hîc videtur text. *C. 2. 3. § 47. II. q. 1. & C. Nullus 2. de Foro comp.* ubi præcipitur, ne quis Clericum absque Pontificis sui permissu ad secularem Judicem trahere præsumat, & ne quis Judicem absque Pontificis permissu eum per se distringere aut condemnare præsumat. Ergo permissu Pontificis seu Episcopi fieri id poterit. Respondent Gloss. & Butrio in *C. Significasti 18. de Foro comp.* ibi subintelligendam particulam *maximè,* & legendum *maximè absque Pontificis permissu.* Verum hoc di-

vinato-

R rr 2.

vinatorium esse videtur. Alij cum Butr. *in cit. C. 2. de Jud. & Panorm. ibid. n. 12.* ajunt, per Pontificem ibi non intelligi Episcopum, sed Papam. Neque obstat, quòd *cit. Can. 47.* dicitur *Episcopo non permittente*: quia ille canon est palea, quemadmodum & *cit. canon. 2.* Rursus alij abrogatos illos canones fuisse asserunt per *cit. C. 2. de Judic.* Verùm quidquid sit de his responsis, receptum est inter DD. argumentum à contrario sensu non procedere, si quæ lex aut canon stet in contrarium, uti hîc stat *cit. C. 2. § C. 24.*

647. Tertiò. Possunt Episcopi aliique Prælati Eccles. causas civiles Clericorum, eas videlicet, quæ inter vel contra ipsos super re temporali & profana moventur, laicis delegare. Gloss. *in cit. C. 2. de Judic.* Panor. *ibid. n. 4. & 5.* Felin. *n. 1.* Dec. *n. 5.* & communis aliorum. Cum hac tamen assertione apertè pugnare videtur textus *cit. C. 2.* paulò antè *n. 645.* recitatus, quo universim prohibetur, ut Episcopi de negotijs Eccles. laicorum judicio disponant: negotia autem Ecclesiastica sunt etiam causæ civiles contra Clericos agitatae. Neque alius quispiam textus produci poterit, qui illum universalem limitet, & de causis solum spiritualibus aut criminalibus intelligendum suadeat. Standum nihilominus est comuni sententiâ: quia textus ille, ita explicante consuetudine, intelligi potest solum de causis spiritualibus & criminalibus Clericorum, vel si quis contendat, cum Andr. Sicul. etiam de civilibus intelligi debere ob verborum generalitatem, dici poterit, solum prohiberi, ut Episcopi ordinariam jurisdictionem laicis in has causas conferant, & ut Clerici absque assensu sui Episcopi coram illis conveniantur; non verò prohiberi delegationem Episcopi in una alterave causa. Ratio est: quia Jura semper magnam differentiam constituerunt inter causas spirituales ac Clericorum criminales ex una, & inter causas ipsorum civiles ac profanas ex altera parte, uti vel ex hoc solum patet, quòd Clericis conjugatis privilegium in criminalibus quidem concedunt, non verò in civilibus, juxta dicta supra *n. 238. & 246.* & quòd iidem super causa civili & temporali compromittere possunt in laicum juxta *C. Ex-*

posita

posita 11. de Arbitr. & communem DD. ibi & in cit. C. 2. de Judic. non verò in criminalibus. Accedit, quòd indecens omnino foret, Clericos criminaliter condemnari & puniri à laicis, & pro pudia eorum, qui juxta *Can. Quis dubitet 9. dist. 96.* sunt in spiritu patres ac magistri laicorum, revelari à filiis ac discipulis, quæ etiam Imperatorià chlamyde operienda putavit Constantinus M. ut habetur *Can. In scripturis cit. dist. 96.* Hæc autem ratio quoad civiles & temporales causas non urget, si auctoritate Ecclesiastica à laicis decidentur.

648. Duabus tamen limitationibus hæc assertio arctanda est. Prima est, quòd causæ civiles Clericorum laicis delegari queant solum in certis & particularibus casibus; non verò, quòd delegatio fieri possit ad universitatem causarum. Felin. & Dec. *ll. cc. aliisque.* Afferit quidem Oliva *cit. q. 11. n. 15.* hoc nullo jure vel efficaci ratione probari. Sed fallitur: quia jurisdictio ad universitatem causarum delegata æquiparatur ordinariæ; hanc autem certum est committi laicis contra Clericos non posse. Accedit, quòd consuetudo interpret legis ab illa universalitate textus *cit. C. 2. de Judic.* non eximit universitatem causarum, sed solum causas particulares. Nec verum est, quod idem Auctor asserit, non fore delegationem ad universitatem causarum, si causæ civiles omnes delegentur, dummodo non delegentur etiam criminales. Videantur ea, quæ dixi suprâ *n. 474.* Altera limitatio est, quòd causæ civiles Clericorum tunc solum committi laicis possunt, quando partes delegationi non contradicunt: neque enim possent, si Clericus contradiceret & idoneum Clericum, cui committi causa valeat, offerret. Felin. *in cit. C. 2. n. 1.* Aretin. *ibid.* Archidiac. *in C. In nona 22. 16. q. 7.* ac alij. Neque contradicit Panorm. *in cit. C. 2. n. 5.* uti existimat Oliva *l. c. n. 16.* nam solum dicit, posse delegationem laico fieri, tametsi Clerici apti adsint; non verò excludit consensum Clerici judicandi. Hujus autem consensus saltem tacitum requiri patet ex eo, quia Episcopus ipsum absque justa causa non potest privilegio sui fori privare &

subjicere jurisdictioni laicorum; præsertim cum illud concessum non fuerit ab ipso Episcopo, sed ab altiori potestate: talis autem causa subjiciendi non datur, si adest Clericus idoneus, cui negotium committi possit.

649. Cæterum nomine Prælati hinc intelligitur etiam Prælatus Religiosus exemptus: nam & iste causam civilem subditi Religiosi committere laico potest, uti docent Silvest. in *Summa V. Judex* 1. q. 2. dict. 4. Fumus in *Armilla V. Judex* n. 19. Thom. Sanch. in *Opusc. mor. lib. 6. c. 1. dub. 1. n. 7.* quia habet jurisdictionem quasi Episcopalem. Cur verò Prælatus Ecclesiasticus causas civiles suorum Clericorum committere laicis possit, ipsi verò Clerici prorogare in se jurisdictionem laico nequeant, ut dixi supra n. 412. ratio differentia est, ut notat Panor. l. c. quia in prorogatione jurisdictionis laicus judicaret jure proprio, & si appellandum foret, id fieri deberet ad Superiorem ipsius laici. Secus se res habet in delegatione, quia delegatus agit solum vice delegantis, ejusque jure utitur, ac propterea jurisdictio, quam sibi à Judice Ecclesiastico commissam exercet, est Ecclesiastica, cum delegatus nihil habeat jure proprio C. 11. § 40. de *Offic. Deleg. L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. & ab ipso appellatur ad Episcopum delegantem.*

650. Duæ circa prædicta quæstiones solvendæ restant. Prima, an Clerici & Regulares torqueri ex mandato Episcopi per laicos possint, si veritas aliter, quàm per torturam exprimi nequeat. Negant omnes, ut ait Oliva cit. q. 11. n. 13. ob textum C. *Universitatis* 24. de *Sent. Excomm.* ubi cum quæsitum fuisset, utrum laicus incidat in excommunicationis edictum, qui ad jussionem Abbatis, in cujus servitio commoratur, in Clericum, Monachum, aut Conversum, temerarias manus præsumit injicere, maxime ubi causa non subest, propterquam debeat verberari, respondit Clemens III. Nobis autem videtur, quòd nisi causâ regularis discipline hoc faciat Abbas in propria persona, vel (si necessitas urget) per Clericum vel Monachum fieri jubeat: tam qui tales verberari præci-

precipit, quàm illi, qui verberant (etiamsi causa subesset) excommunicationis sententiam, donec ad Apostolicam Sedem (absolventi) veniant, nequaquam evadunt. Hinc de jure torqueri per laicos non posse Clericum, communis est opinio, ut ait Ripa in C. 2. de Judic. n. 39. & Jul. Clar. lib. 5. Sent. §. fin. q. 64. n. 25. Contrarium tamen receptum est communi observantiâ, ut testantur Panor. in C. Ut fame de Sent. Excomm. n. 8. Diaz. Pract. crim. canon. c. 117. n. 6. Foller. Pract. crim. canon. fol. 260. n. 11. Simancas de Heretic. c. 63. n. 29. Clar. ac alij. Neque hæc consuetudo mala est, ut aliqui existimabant; nullum enim jus ostendi potest, quo prohibeatur Judex Eccles. torquere Clericum per laicos. Textus cit. C. 24. loquitur de verberatione, quæ fit regularis disciplinæ causâ, quæ cum moderata sit, & paterna, fieri potest per alium Clericum vel Regularem. Tortura autem, qualis per laicos Judices gravium criminum reis adhiberi solet, & quandoque etiam Clericis adhibenda est, nec commodè nec honestè per Clericos fieri potest, ut advertit Suar. de Censur. disp. 22. sect. 1. n. 44. Unde crimina Clericorum manerent impunita, si per laicos torqueri non possent, uti cum Follerio notat Clarus l. c. quia Clerici nec instructi sunt ad hoc munus vel peritiâ vel instrumentis, nec convenit eos cogi ad illud obeundum. Accedit, quòd captura & ultimum supplicium fit per laicos: quia violentiam continet, quam non convenit exerceri per Clericos. At eadem est ratio de tortura. Et ita his diebus consultata respondit Sacra Facultas Theologica Academiae Ingolstadianæ. In nonnullis tamen Ordinibus Religiosis tortura per funem seu equuleum, cippum, vigiliam &c. fit per Regulares laicos, uti patet ex ijs, quæ tradunt Passerinus in Praxi causar. judic. c. 9. n. 187. ac alij.

651. Secundò quæritur, utrùm laicus possit esse œconomus & generalis administrator rerum temporalium Ecclesiæ. Negant Felin. in C. 2. de Judic. ubi ait esse communem, Decius ibid. n. 9. Marta de Jurisdic. p. 4. casu 158. quia Can. Indicatum 5. dist. 89. dicitur:

dicitur: *cavendum à fraternitate vestra, ne secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiastica committantur, sed probis de vestro Officio Clericis.* Ubi per res Ecclesiasticas res Ecclesiæ temporales intelliguntur, uti patet ex principio textus. Unde ab adversæ opinioni DD. sufficiens ad hunc canonem responsum dari posse negat Oliva *p. 1. de Foro Eccles. q. 7. n. 66.* Dicendum nihilominus est cum Panor. *in cit. C. 2. § Dec. ibi n. 110.* ac communi Canonistarum, posse laicis liberè committi causas & negotia Ecclesiarum ac Clericorum merè temporalia, & nullam super Clericos eminentiam aut jurisdictionem conferentia. Hinc potest Episcopus, & Sede vacante Capitulum, constituere oconomum, tradendo ipsi curam & administrationem proventuum temporalium, committendo Ecclesiæ fabricam &c. ut rursus docet communis DD. & notoria praxis confirmat. Neque obstat decisio illius *cit. can. 5.* quia intelligi potest de administratoribus laicis non nudum ministerium exhibentibus, sed potestatem aliquam exercentibus disponendo de rebus Ecclesiæ, & redditus pro arbitrio distribuendo & applicando, quales fate-mur ex laicis assumi non posse. Præterea in casu illius canonis per administratores laicos lædebatur Ecclesia, ad quod damnum vitandum ibidem tanquam in casu speciali, & non univèrsim præcipiebatur, ut remotis laicis idonei Clerici adhiberentur.

652. Quin potest laicus esse Consiliarius Episcopi & Assessor. Hostiens. *in cit. C. 2. de Judic. & ibid. Anton. n. 6. Panor. n. 13. Alexand. de Nevo n. 32. Dec. n. 131. Bald. n. 10. Felin. n. 6. Ripa n. 7. Dominic. in C. Statutum §. Assessorem de Rescript. in 6. n. 5.* ac alij: quia Officium Assessoris est consulere *L. 1. ff. de Offic. Assessoris.* At laicus consilium etiam in causis sacris conferre potest, ut notat Innoc. *in cit. C. 2.*

653. Quamvis autem Episcopi, ut modò dictum est, possint causas aliquas civiles Clericorum particulares delegare laicis: non tamen ijs committere queunt executionem vel in personis vel in bonis Clericorum faciendam, ut benè observat Sperelli *decif. 14.*

n. 17.

n. 17. cum ne quidem in causis contra Clericum coram Judice laico decisus, v. g. si is coram tribunali profano contra laicum egit aut ab eodem reconventus fuit, possit Judex laicus executionem in ejus bonis facere, sed ea facienda sit à Judice Ecclesiastico ad requisitionem laici, ut cum communi DD. dixi suprà n. 610. Nihilominus committere laicis tanquam organis & ministris contra Clericos possunt executionem aliquam & ministerium facti, ut loquitur Suar. *Lib. 4. Defens. Fid. c. 34. n. 25.* ad impedienda peccata & perturbationem publicam, ut eripiantur Clericis arma, quæ de nocte gerunt, vel ut comprehendantur in gravi delicto deprehensi, vel ut contumaces & comparere renuentes ad Judicem Eccles. pertrahantur. Pariter potest laicus in causis Ecclesiasticis esse Tabellio seu Notarius. Decius *l. c. n. 18.* cum communi DD. quam praxis Dioecesium confirmat. Ratio dari debet: quia Notarius est purus Minister, nullam in causa jurisdictionem exercens. Eadem ex ratione laicus Procurator esse potest, non tantum in causis Matrimonialibus, ut quidam volebant; sed etiam reliquis spiritualibus. Patet ex *C. 1. de Procurator. in 6. & C. 24. de Præbend.* Nudum enim exhibet ministerium absque ulla jurisdictione: neque agit nomine proprio. Potest denique esse Arbitrator in rebus spiritualibus & fructibus Beneficij cum alio quodam Arbitro, qui sit Clericus. *C. per tuas 9. de Arbitris.* In patrimonialibus verò & temporalibus Clericorum ac Ecclesiarum solus facere arbitrium potest. *C. Dilecti 4. eod.*

C A P U T II.

De Causis ad Forum Seculare pertinentibus.

§. I.

Quæ Causa ad Forum Seculare pertineant.

S s s

SUM.